Super Auſpicatiſſimo

Regis GUILIELMI

IN

HIBERNIAM etiam Deſcenſu,

ET

Salvo ex *HIBERNIA* Reditu,

THO. GILBERTI Octogenarii *V. D. M.*

CARMEN GRATULATORIUM.

BODLEIANA BIBLIOTHECA

ANGLOS qui cecinit Deſcenſus, haud ita pridem,
Hibernos itidem Deſcenſus, *OPTIME REGUM*,
Augur non Vanus noſter *TIBI* ſuaſit Apollo.
Poſt res Hibernis geſtas *felicitèr Oris*
(Res *Tantas* etiam *Tantillo* Tempore geſtas)
TE Reducem Salvum, pluſquam Tria Regna ſalute
Salva *TUA*, pariter noſter gratatur Apollo.
Bellandi quantus quantus *SCHOMBERGIUS* Arte,
A teneris canos ad Crines Caſtra ſecutus,
Non, timidos, Belliq; rudes proſternere Hibernos
Evalet; Ipſe cadit *Galli* ſub Turbine Martis:
Nempe *TIBI* ſervanda fuit Victoria Soli;
Olim ut *JESSEIDI* expugnatæ Gloria *Rabbæ*.
Obſcurus quondam Fluvius, modò *Nobile* Flumen
BOINUS ab Angliacis celebrabitur uſque Poetis:
Namq; *TIBI*, Turmiſq; *TUIS*, cedentibus Undis,
Ex-Regem docuit Jacobum cedere Ripam,
Poſt Ripam Campum, poſt Campum cedere Regnum:
Scilicet ut pluſquam Regnum ſic abdicet Unum.
Victrici hinc fugiens modò ſpretâ à Lege *TYRANNUS*
Cum timido *Hiberno* timidus fit & Ipſe *Rebellis*:
Quiq; modò ambivit Legis ſine Limite Regnum,

Lex *MISERO* huic ſola eſt *LUDOVICI* ſola voluntas.
Augurium necdum noſter finivit *Apollo*;
Gallorum Turmis tot victis inter Hibernos
Omen ineſſe Bonum ſpondet; Victricibus Armis
Gallica *Regna TUIS* etiam ceſſura, *LUPUMQUE*
BORBONIUM in *Luparâ* faſtosâ deniq; captum;
Non jam Terrori Gregibus, velut ante, tenellis;
Ferrato at Clathro, Tigribus tractoq; Jugatis,
Circumcircà actum Populis *Oſtentui* habendum,
Pone *Triumphales*, quos *VESTRUM* eſt ſcandere, Currus.
Haud *Dicto*, aut *Juſto*, prærepta *AURASIA*, Bello
Jura dat in totum Raptoris *Bellica* Regnum:
Jus præter, juxtà *Altius* atq; *Antiquius*, ad *TE*
HENRICI à *QUINTI* ductum *Gladio*q; *Thoro*q;;
Quicquid de *Salica* prætexit *Gallia* Lege;
Et *Titulum* exprobrat *Re* caſſum Regibus *Anglis*.
Ergo age, *REX INVICTE*, *TUA* Virtute, Supremi
Numinis Auſpicio; impatiens jam tertia *Gallæ*,
TE DUCTORE, manet *Britones* Victoria Gentis:
Deſidis haud Gentis, Gentiſve *imbellis*, ut olim
Succubuit *Regum* Noſtrorum hæc victa *duobus*:
Gentis at *Audacis*, vafriſq; in Rebus agendis
Conſiliis; Auctæ *veterano* Milite, *Nummis*
Militiæ *Nervis*, Hoſtiq; abſcindere nervos

Enſe

Enſe magis promptis; Rege his, aliiſque, perito
Uſibus inſervire *malis*; per cuncta Locorum
Vicina, immeritò Gentes *turbare* quietas;
Sacrum aliis Vinc'lum, Fili inſtar ſolvere *Fœdus*;
Inferiora Status *Popularis*, Summaq; *Regum*,
Fraude vafrâ, vel Cæde truci, refringere *Jura*;
Pellice Formosâ (Genere *hoc* Gens *iſta* redundat)
Principibus Celſis ſanas corrumpere Mentes;
Rerum præcipuos *Auro* temerare *Miniſtros*;
Rectoreſq; *Ratum*, Præfectoſq; *Urbibus*, atq;
Ductores Belli, ſimili vitiare *Metallo*:
Solo æquare *altis* munitas Mœnibus Urbes;
Et *Populos* latè Gladio vaſtare voraci;
Aut quibus *immanis* donat Clementia *Vitam*,
Iſtos, *Morte* minùs gratis, vexare *Tributis*.
Quin demum Specimen ſupremum *Artiſq;*, *Furoriſq;*
Edidit; inq; *ſuos* vel *Gallos* ſæviit; Omnes
Nempe quibus *meliora* Deus præcordia finxit;
Utpote *ſincerâ* Numen Pietate colentes;
Exiliis juſſos ſibi dulces linquere Sedes;
Tormentiſve Domi trucibus genus omne coactos,
VERI ejuratis, jurare in verba Prophetæ
Falſiloqui (Reliquis jam Sæcula plurima Mutis)
Elinguis nondum *Romani* Oracula Phœbi.

Gens

Gens *hæc* Digna *TVIS*, *Rex* Gentis Dignior, Armis.
Cum *Galli* Expensis Belli non defuit unquam, (est;
Nedum his *CONCILIVM* desit modò *GRANDE*, timendum
TE Caput *Astricolis* charum, Caput *exoptatum*
Adjice *Principibus* Sociali Fœdere junctis;
Fortior ut Vis *justa* sacro sit Glutine facta,
Atq; omnis Capite extinguenda *Tyrannis* in *Vno*:
Magnus enim *Grandi* *LVDOVICO* Turca meretur;
Ampla nimis *Galli* numerans stipendia Nummi:
Cum tamen à *binis* agitur Res *una* Monarchis
Finibus *adversis*; Alter statione *movendis*
Idolis, ultrà *firmandis* militat Alter;
Hic meritò venit Ense *TVO* plectendus; In *Illum*
Læsa animadvertant *Reges* Idola colentes;
Patronus Baal Ipse sibi suus esto *Clienſque*:
Vibrato manibus Dio *TV* Fulmine *VESTRIS*
Undiq; spargentem *Phaethonta* Incendia *Gallum*
Dejice, vicinos crescentibus eripe Flammis;
Et Populum *Galla* de Gente *Domiq;*, *Foriſq;*,
Torturæ pressos duro *Exiliiq;* Labore,
Libertate jube *Justâ* uti; ad *vota* serenâ
Pace frui; tandem, qui longùm oppressit *utramque*,
Dempto, quam meruit, non *siccâ* Morte, *Tyranno*.
Ne Fronti *Laurus*, Capiti ne quære *Coronas*;

Anno

Anno *TE binis* ornavit Chriſtus in *Uno*;
Quas Illi ante pedes pronas obvolve Colendos;
Et, quo cœpiſti pede, *SANCTUS* quà vocat *AGNUS*,
Impiger, Indefeſſus, Alacri Animoq;, ſequare:
Atq; *obtuſa* mihi *Senio* niſi fallitur Auris,
TE Buccis *plenis*, *patulo* Ore vocare videtur
Mundi ſera *ſenis*, quæ excurrunt, tempora *REBUS*,
Pagina prædixit quas *ſacra*, implere *STUPENDIS*;
Partiſq; *Occiduæ* viduatæ *Pacis* amicæ,
Sanguine & *Humano*, Rationem expoſcere, *merſe*;
Excipere, & flagris Orbis penſare *FLAGELLUM*:
Non (quod Turca ſolet; Turcaq; immanior ipſo (Omen
Monſtrum Hominis *LUDOVICUS* agit nunc temporis;
Ut dedit Ingenii Truculenti, Sævitiæque
Facti; Natus acris multâ cum Cuſpide Dentis;
Cujus *Vipereo* corrumpens Ubera morſu
Nutrices teneras *Feſtinâ* Morte rependit)
Non inquam *Enſe* breves Fidei protendere *fines*;
Viribus *armatis* Cæcas convertere *Gentes*:
Suadâ *Evangelii* multi Præconis in ore.
Certandum *hìc*; Egit Chriſtus ſic *Ipſe*, ſuoſq;
Diſcipulos *docuit*; veniunt Utriq; ſequendi:
Altera Militia eſt *Anglo*, longè altera *Ibero*,
Quâ miſeros, Chriſtiq; rudes, certatur in *Indos*:

Hic

Hic Oris *Gladio*, Gladiiq; hic militat *Ore*;
Et Centum pariter *Xavieri* Millibus, Unum
Exhibet *Elliòti* magis amplos Mille Triumphos.
Aſt, ubi *ſana* Fides inſerta eſt Legibus *æquis*,
Aſſerere oppreſſam Gentem, aſſertamq; *tueri*,
(Atq; hoc *Paciferis*, aliàs ſi non licet, *Armis*)
Crede *TUUM*; & *Juſti Prætoris* ubiq; locorum
Uſum operâ famulante, *NOVI* Incunabula *COELI*
TELLURISQUE NOVÆ, ſi non & utrinq; Beatas
Ipſas, *JUSTITIA* claras, inducere *Sedes*:
In quas ex *Quarto* nil *Ferri* inducitur *Ævo*;
Ferri nedum, in quâ nunc vivitur, *ulla Rubigo*:
Regna ut ſic Terræ *CHRISTO* Digniſſima *REGE*,
Et *TE* digna ſatis Chriſti *PRO-REGE*, putentur.
Hunc *TIBI* conceſſum quidni ſperemus Honorem?
Immo ut, poſt Domini tandem à *TE* Bella peracta,
Sit *TIBI* ſtructa *Domus*, *NASSAVI*, in Sæcula *ſera*,
JESSEIDI ut quondam, melior quàm *Cedrina*, *REGI*
Stemmate *NASSAVIO* Proles, & Nomine, Digna;
TE data Progenies *Patre* Digna, & *Matre MARIA*;
Sceptra per innumeros miſſura *Britanna NEPOTES*.

Sint Vatis *Prædicta* Senis meliora Poetæ
Carminibus; ſint Grata ſatis, *REGUM OPTIME*, *VESTRO*
Utraq; *Candori*: Noſter finitus *Apollo*.